



Iohannes ille Hamburgi Saxonum honestis parentibus natus, & à teneris annis in omnis generis doctrinæ & uirtutibus educatus fuit. Itaque factum ut in uirum doctum & prudentem abierit. In eo loco olim Carolus Magnus & Ludouicus Pius Cæsares collegium duodecim monachorum erexerant, quibus & uitæ regula à Corbeyensi conuentu sumpta præscripta est, ut essent custodes doctrinæ Euangelij, ac ad uicinos etiam Christi uerbum transferrent. Et huius ministerij conseruandi causa sumptus necessarij ijs attributi sunt, quos nunc prebendas uocât. Sed procedente tempore paulatim factum, ut eos nomine regularium puduerit, quod

uiderentur hac appellatione alijs monachis comparari. Itaq; mutato nomine maluerunt ignotiore & infrequentiore uocabulo à canone Canonici, quàm à regula regulares dici, quod regula ista eos monachos faceret, & ad tale uitæ genus astringeret, in quo minus licentiæ & uoluptatum concederetur. Hanc licentiam à Romano pontifice magno ere emptam augebant et defendebât, adeoq; bona collata ad usum ministerij & conseruationem doctrinæ ad luxû conuertebant, ita ut tãdem Ecclesia omnino doctoribus & eruditis ministris destitueretur, atq; parochiæ indoctis & uentri tantùm seruientibus elocarẽtur. id quod etiam in multis alijs Ecclesijs contigit.